

14. *Deraeocoris olivaceus* Fabr. var. *fallax* Horv.

Coccineus; apice clavato articuli secundi antennarum, thorace (callo antico lævigato limbisque lateralibus exceptis), clavo toto, macula oblonga ad suturam clavi et fascia postica antrorsum laciniata corii, nec non apice cunei nigris; ventris disco nigricante. ♀.

Patria: Hungaria. (Mus. Hung.)

Varietas, formæ typicæ *D. trifasciati* L. simillima, notis specificis, i. e. statura minore, capite pallido longiore, oculis minus prominentibus, antennis pilis longioribus vestitis, harum articulo secundo brevior calloque antico thoracis nunquam nigro distinguenda.*

15. *Deraeocoris olivaceus* Fabr. var. *larvatus* Horv.

Niger; capite, annulo collari, callo antico et limbis lateralibus thoracis cuneoque, apice excepto, rufo-testaceis; ceteris ut in forma typica. ♂.

Patria: Hungaria (Nagymihály, D. CHYZER; Resicza, D. MERKL).

D. trifasciato L. var. *rufipedi* Fabr. colore haud dissimilis, notis specificis autem bene differt.

16. *Salda nobilis* n. sp.

Obovata, nigra, subopaca, superne sat longe fusco-pilosa et præterea remote flavescenti-sericea; oculis maximis, ultra margines laterales thoracis prominulis, ocellis contiguis; antennis nigro-pilosis, articulis duobus basalibus flavo-testaceis, articulo primo subtus vitta basali nigra signato, articulo secundo articulo primo plus quam triplo longiore; thorace antrorsum angustato, marginibus lateralibus rectis, callo antico maximo, nitidulo; hemelytris nigris, extus leviter rotundatis, plaga magna rhomboidali pone medium corii atro-holosericea, striola anteapicali clavi, maculis duabus parvis discoidalibus, una prope basin, altera in medio sitis, macula magna costali ante apicem punctisque nonnullis ad marginem posticum et in disco corii flavo-testaceis; membrana parva, apicem abdominis plus (♂) minusve (♀) superante, flavo-testacea, nigro-venosa, macula marginali externo-apicali nigra notata, areis interdum nigro-fusco-maculatis, area interiore ante aream proximam tantum quarta sua parte extensa et apicem hujus haud attingente; rostro pedibusque flavo-testaceis, femoribus minutissime fusco-punctatis, tibiis nigro-spinulosis et præterea breviter fusco-pilosis, apice imo tibiarum et tarsorum nigro; margine antico acetabulorum anticorum late flavo-albido; segmento ultimo ventrali feminarum apice late albido-limbato. ♂. ♀. Long. $4\frac{1}{2}$ — $5\frac{1}{2}$ *m/m*.

* Forceps sinistra marium apud *D. trifasciatum* apicem versus nonnihil incrasata, apud *D. olivaceum* autem semilunaris et apicem versus sensim gracilior est.